

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

**B 26**

**1461, maio, 29. Roma.**

*O papa Pío II (1458-1464) comisiona ó prior do mosteiro de San Martiño de Xubia para que poida resolve-lo conflicto que o Cabido mindoniense sostiña con Lope Afonso, sobre os beneficios de Santiago de Foz, Santa Baia da Devesa, San Bartolomeu (hoxe San Isidoro) do Monte e San Pedro de Viveiro.*

A, perg., que conserva restos do cordón de que pendeu o selo, de 273 x 397 mm. Letra redonda.

Pius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio priori monasterii per priorem soliti gubernari sancti Martini / de Joyua mindoniensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii decanus et capitulum ecclesie mindoniensis petizione mostrarunt quod / licet ipsi nonnulla perpetua simplicia beneficia in sancti Jacobi de Foz et sancte Eulalie de Deuesa ac sancti Bartholomei de Monte necnon sancti Petri de Vi/ueyro parrochialibus ecclesiis mindoniensis diocesis mense sue capitulari canonice unita aliquandiu tenuissent et possedissent tuncque tenerent et possiderent pacifice / et quiete quia tamen Lupus Alfonsi qui se gerit pro clero eiusdem diocesis falso asserens sibi de beneficiis predictis tunc certo modo uacantibus auctoritate ordinaria / prouissum fuisse prefatos decanum et capitulum beneficiis huiusmodi temere et de facto spoliauit Lupus Lupi de Aguiar officialis mindoniensis constito sibi / legitime de spolio huiusmodi ad ipsorum decani et capituli instanciam eundem Lupum Alfonsi sub excommunicationis ecclesiasticis sententiis censuris et penis tunc expressis / per suas certi tenoris litteras monuit et mandauit eidem ut possessionem dictorum beneficiorum cum fructibus ex hiis perceptis eidem decano et capitulo dimitteret / alioquin in eum excommunicationis sententiam huiusmodi promulgabat ipsumque mandabat et faciebat excommunicatum publice nunciari a quibus quidem monitione et / et (sic) mandato idem Lupus pretendens se exinde indebitate grauari ad Sedem apostolicam appellauit et super appellatione huiusmodi nostras ad abbate de Villanova e Loorençana / et per priorem soliti gubernari sancti Martini de Mondonedo mindoniensis diocesis priorem monasteriorum ac archidiaconi de Ribadeo in ecclesia mindoniensi eorum / propriis nominibus non expressis litteras impetravit necnon decanum et capitulum predictos in causa appellacionis huiusmodi fecit coram moderno priore / dicti monasterii sancti Martini ad iudicium euocari pro parte uero decani et capituli prefatorum fuit coram eodem priore excipiendo propositum quod cum prefate littere cum huiusmodi clausula impetrare fuissent ipse prior modernus abbate monasterii de Villanova et achidiacono de Ribadeo / ecclesie predictarum irrequisitis ipsis abbe et archidiacono qui requiri commode poterant et de iure debebant ac hiis interesse poterant et ualebant nec se legitime excusauerant de premissis cognoscere per dictas litteras non ualebat dictique decanus et capitulum coram eo duntaxat respondere super hiis minime tene/bantur et ad id compelli non poterant nec debebant et quia idem prior excepcione huiusmodi non obstante eaque non admissa in causa ipsa nichilominus procede/bat decanus et capitulum predicti sentientes se exinde indebitate grauari ad Seden appellarunt eandem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus / quatinus uocatis qui fuerint euocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit decernas faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam appella/cione remota firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gracia odio uel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas / ueritati testimonium perhibere. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadragesimo sexagesimo primo / quarto nonas junii pontificatus nostri anno tercio. Jo. de Salas.

(Reverso):

R. de Salmeron. Bigneti. (*Outras sinaturas ilexibles*). M.v. en el nº 10. Comision para el prior de Joiba sobre los prestamos de Foz y Santaalla y san Pedro de Bibero.